

Astraea plorans,
in funere S:ae
R:ae M:tis magnae
fidei viri, ...
dn. Johan...

Lithou, Gustaf

1700-1829 81 Cbza Fo1. 1724
Wattrang



National Library
of Sweden

ASTRÆA PLORANS,

IN FUNERE

S.Æ R.Æ M:TIS

MAGNÆ FIDEI

VIRI,

ILLUSTRIS atque GENEROSISSIMI

DN. **J**OHANNIS

ZACHARIÆ F.

WATRANG,

SUMMI SVEONUM DICASTERII

PRO-PRÆSIDIS

EMINENTISSIMI,

QUUM

SOLLEMNI EXSEQUIARUM POMPA

HOLMIÆ d. XIX. Martii.

M DCC XXIV

TUMULO MANDARETUR,

CALAMO DEVOTISSIMO

GUSTAVI LITHOU, Signif.



H. O. L. M. I. Æ

Typis JOH. LAUR. HORRN, Reg. Ant. Archiv. Typogr.



† † †
Allor, an Orchestrae funestius incubat astrum,
Feralisque sacris Climacter Fascibus instat.
Perpetuant luctus, & pullæ firmata vestis:
Nescit Parca modum. numerent sua secla Quirites
Consule, nos magnis numeramus cladibus annos.
Summa cupressiferam vix Pulvinaria nubem
Dispulerant, gliscit eum jam malesana cicatrix,

Et diris iterum fuscatur Curia taxis.

Non hæc, O! Superi, mors est; sed publica clades:

Ipsa Astra sua spectat viduata cadaver,

Ingemit & tanto Themis indignata feretro:

Hæc Pietas, hæc cana Fides, Candorque Leposque:

Hæc Trabæ, Fascesque sacri, grandesque Curules:

Hæc pulsans legum dubias Prudentia tricas,

Et late abstruso tot jura profunda recessu:

Hæc fandi torrens, visque imperiosa palati:

Adde, laboratæ cumulata negotia vitæ,

Et magni tot pulera jacent Pro-Presidis acta.

Occidit, & passim spargit sua fata, nec urnam,

Publicus ille rogos, *WATTRANGUS* possidet unus:

Scilicet hoc moriente stupent Libethrides undæ:

Turgida presserunt grandes oracula Delphi,

Dediditque fidem mussans Cortina priorem.

Sic, *Vir Magne*, jaces Trabeati Gloria Circi,

Sic moreris, *WATRANGE*, Senum venerabile Nomen!

Plange genas, *Virtus*: non ullo dignius unquam

Pectore sedisti, sive ad juvenilia spectes

Tempora, seu plenos meritis & honoribus annos.

Namque hunc seu *Ligeris*, seu velifer *Amstela* quondam,

Seu vidit *Tamesis*, nil non mirabile vidit,

Et grandi dignum calamo: non *Flandria* nescit

Erectum pectus, non *Dania* culta vigorem.

Sed majora patent. ut contumnavit Ulysssem

Circuitu, adproperant, non invitantur Honores,

Crebrescuntque suis meritis, nec sistitur ante,

Quam summum confine premat Minõa sedile.

Scandit Ebur, veneranda Dice, Jus, Fasque Fidesque

Visa latus cinxisse, suamque Astra bilancem

Credidit elati manibus, terrasque reliquit.

Sic virtute juvat niti, *Vir Maxime*, dulces

Excipe jam falsi sudoris præmia fructus.

Nescio quid primum mirer, quod tramite recti

Institeris, lato nunquam vel flexilis ungue:

Quod nihil in tanta rerum vertigine Rostris

Feceris indignum: quod nunquam publica cessit

Typis Joh. Laur. Horn. Reg. Auc. Arch. Typogr. Causa

6
Causa Tuæ, toto pridem Tua didita regno
Fama viget, fidæque vehit præconia Sparta:
Nempe Dei semperque Tuus, semperque tumultu
Celsior affectus, irasque, metusque, minasque
Tete infra adspexi: minor illo injuria Templo:
Sola animo cynosura Polus, supremaque vitæ
Regula, Te Regi, populoque impendere totum.

Prima Tibi *Pietas* meta est: hæc anteit omne,
Quod sectaris, opus non castigatius unquam
Vivitur ad leges Superum: sacra verba Tonantis
Nectar erant, & mella gulæ: nil dulcius aris:
Multus in ore Deus, soloque in Numine Asylum.
Ipse diem precibus sepelit, lucemque reversam
Dedicat Oraclis cœlestibus: inde petuntur
Prospera consiliis, decretis certa, sequenda
Ambiguus, scopulis ducentia lumina cœcis,
Scilicet in tanto fortunæ culmine rara est,
Et tamen immensis Peruano in littore gazis
Nobilior Pietas: gemma est pretiosior auro
Clava est Herculeis perrumpens ictibus astra:
Clavis in arcana sentim penetralia ducens
Lætitiæ, qua nulla parem mortalia sensa
Libarunt: cui si contendas nectar & omnes
Ambrosiæ succos, vel quicquid ubique saporum est,
In vappam, & putridæ speciem vanescet amurcæ.
Quanto igitur cuncti circumplectemur amore
Pulvinar, *Vir Sancte*, Tuum? qui jura ministrans
Inter adoratos Domini cœlestis honores,
Non à damnando ducens exordia cive,
Judicis accersis primos à Numine passus.

Altera meta Viro, quam provocat impete fixo,
Justitia est: non illa Forum, non illa Tribunal
Æquius adspexit, seu cum Themis aurea lancem,
Seu cum Minosam suspenderet Æacus urnam.
Tu pestis, *WATRANGE*, malis, Tu criminis ultor
Fulmineum vibras tutandis legibus enses,
Et trabeas vis justa loqui: stant rostra decenti
Tuta patrocinio, formidatæque secures
Officio jungunt quemvis, & lancibus æquis
Partitur jus cuique suum: Regale vacillans
Horret causa Forum, pretiumque & mitia pressus
Sentit rostra cliens. Tibi suspirantis egeni
Stridula vox, viduæ lacryma, ætatisque minoris
Pendens causa strophis, nutum miserantis ocelli
Elicuit, justamque malis pronamque medelam.

Este procul viles animæ, quas gratia juncti
Sanguinis, & foceri meritum subduxit ab urnæ

Fulmine;

Fulmine; sunt alii, *WATRANGO* Judice, mores:
 Non prece, non emto *Themis* occœcata favore est:
 Nulla salus lacrimis, nulla est mercabilis ære,
 Cedite, queis curæ est streperas procudere lites:
 Retia simplicibus, pedicas struxisse columbæ:
 Venari ambigue dictum: committere fratres:
 Noxia restinctis alimenta infundere flammis:
 Atterere ignaros longo sufflamine causæ:
 In fulicas raptim niveos convertere olores:
 Marmora carbonis specie simulare; cerebrum
 Aucupiiis miseri, plebisque impendere noxæ.
 Cedite, *Nostrati* sollertia curva *Lycurgo*
 Displicet, & torti laquei: pellucet utrinque
 Fabula, cum vigili vulpecula lynce tenetur.
 Non animo dispar vultus, non dissona fronti
 Pectora; blanda gravi residet sermone venustas,
 Nec personatis inservit mobile scenis
 Ingenium: fictæ Tibi non poppysmata linguæ
 Cognita, vel fraudes; tollit Te nescia fuci
 Simplicitas, gratique omni sub fidere mores,
 Non levis *Ambitio*, aut furor inconsultus agendi
 Hic sedes fixere suas: non cœca *Libido*.
 Non Te turpis *Avarities*, non subruit auri
 Sacra fames, foribusque latens *Vindicta* potentum.
 Magnas inter opes humilis, non sorte secunda
 Diffuis, adversam forti ratione refellis.
 Non Tua vesano plorant æraria *Luxu*:
 Non sordes erectus amas: sunt candida semper
 Gaudia, nec peccat pulcro saturata voluptas.
 Te mitem sensere humiles, rigidumque rebelles:
 Gloria demissum stupuit. *Constantia* rectum:
Sobrietas in Te. *Curios* laudata renasci
 Vidit, & antiquum *Gravitas* non ficta *Catonem*,
 Attilium jurata *Fides*. Tu cetera vixti
 Principibus gratus, sincerum Nomen Amicis,
 Cunctorum communis amor: non spernere doctus,
 Nec sperni: facilis Paribus, cultorque Priorum.
 Non odio Tua Fama labat, famulatur & aura
 Ventosæ; pretio quin omne involvis in æyrum
 Teque Tuosque Tuo. Vis, Lector, discere plura,
 Suspice confluxam *Generosa* in Prole Figuram
 Divini *Senis*: est *Pater* immortalis in illa,
 Immortalis *Aous*: cinis heic communis in una
 Gliscit io! qua *Priva* Salus, qua *Publica* stabit,
 Enthea dum *Pietas* Palma, *Themis* Ense potitur.

